

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1095

1093

1099

1089

1104

1084

1044

0994

0594

0094

Ende

Anfang

522

cum magna reverentia respondit: homines isti peregrini sunt et loca sancta terrarum nostrarum quaerere venerunt et neminem laedere, neminem invadere nullique nocere cupiunt. Audientes autem in Gaza, hoc est, in Jerusalem, quosdam pestilentes homines vagari per desertum, qui passim violare praesumunt salvum conductum domini Soldani, spoliantes et vexantes transeuntes, etiam Cairinos nobiles, robusta mente petierunt a Trutschelmanno licentiam ferendi arma, ut occurrentes turbatores libertatis benignitate domini Soldani eis concessam possent et ipsi turbare et profligare; hac de causa (**b**) gladiis accincti, arcibus muniti incedunt isti. Hoc auditio responso convertit se ad famulos suos et jocundo omine dixit: ecce, isti Franci audaciores sunt Aegyptiis; si Mauri, Saraceni, Mamalucci illius essent audaciae, dudum fuissest desertum a latronibus et praedonibus purgatum. Sic ergo vir ille optime fuit contentus et per Calinum salutationem amicabilem obtulit eumque de nostro itinere, de patria nostra et aliis conditionibus interrogavit, nos vero per Calinum ab eo quaequivimus, an naves onerariae de India venissent in Thor cum speciebus aromaticis et si species illae ductae essent in Alexandriam. De hoc ideo quaestionem fecimus, quia cum istis speciebus in navibus Alexandrinis in Italiam transfretare sperabamus nos. Statim autem vir mentem nostram intellexit et plenum responsum dedit dicens, quod ante plures dies naves Indianaee in Thor venissent et jam actu species aromaticae ducerentur in camelis in Aegyptum ad Cairum et de Cairo per Nilum veherentur Alexandriam ad mare magnum et ibi iam starent naves Alexandrinae de Venetiis et onerarentur ocios recessurae. Hoc cum audivissemus, solliciti facti sumus valde timentes, ne naves ante adventum nostrum in Alexandriam recederent, quia si hoc factum fuissest, in Alexandria hiemare necesse fuissest, quod nobis utique fuissest molestissimum. Sic ergo vir ille velociter nos praecessit, nos vero lente satis cum nostris camelis sequebamur et ab illa hora incepimus esse solliciti et Calino ac camelariis molesti, instigantes eos opportune et importune ad celeriorem processum et ut accelerarent iter.

